



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

***EPISTULA AD IACOBUM ALOISIUM
CARDINALEM COPELLO,
SANCTAE ROMANAE ECELESIAE CANCELLARIUM,
SEXAGESIMUM AB INITO SACERDOTIO***

ANNUM IMPLENTMSEXAGESIMAM ANNIVERSARIAM* Sexagesimam anniversariam memoriam felicissimi diei, quo auctus es sacerdotio, caritatis obsecundantes affectui, votis ominibusque, quae imo e pectore promimus, te libenter exornamus. Cum dulce tibi est recolere labores, quos diuturnum hoc per temporis spatium in sacro ministerio perfungendo, praesertim Bonaërensium archidioecesis Antistes, pietate ac diligentia praeditus peregristi, tum maxime aequum est Deo, omnium bonorum datori, persolvere grates, qui adiutor tibi fortis et largitor donorum fuit munificus. Multum optantes, ut Sanctae Romanae Ecclesiae Cancellarius et in Romana Curia magni faciendam impendens operam, novis meritis affluas, atque, caelesti munimine tectus, actiosa et vegeta senectute fruaris, praesentissima a Christo Iesu auxilia tibi, Dilecte Fili Noster, precibus poscimus, atque, horum pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus, quam ad eos pertinere volumus, qui, festiva corona, sacro anniversario tuo intererunt. *Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Septembris anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quarto.* **IOANNES PP. XXIII**
